



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Commentarius Tertius In Libros De Coelo; De Generatione Et Corruptione;
De Anima; Et Metaphysicam Aristotelis

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

IV. An in Corruptione substantiali fiat resolutio usque ad materiam
primam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95375](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95375)

xxx. Confirmatur: quia posita sola adductione nova, per quam Corpus Christi v.g. sic ponitur sub speciebus ut vi adductionis istius, saltem divinitus, definat substantia panis & vini, & sub illius accidentibus ponatur, satis salvatur ratio conversionis.

xxxi. Respondeo 1^o. etiam sententiam negantem definire substantiam panis & vini, & affirmantem aliud transferri, vitare multiplicationem corruptionum sine necessitate; hoc tamen non obstante, improbat sententia ista.

xxxii. Respondeo 2^o. supponi falsum videlicet ad conversionem, non esse istorum entium necessitatem, quod prius probandum est; oppositum enim convincunt probationes à nobis supra factæ.

Ad Confirmationem

xxxiii. Respondeo negando assumptum, quia Confirmatio ista petit principium.

xxxiv. Obijcies 5^o. ad essentiam conversionis præcisè requiritur *transitus unius rei in aliam*; sed il-

le habetur definiente termino à quo, & termino ad quem de novo adducto, sive de novo unito accidentibus terminis à quo, ergo, &c.

xxxv. Respondeo concessa maiore, distinguendo minorem; sed supposito, quod ad conversionem requiratur definitio termini à quo, ille habetur, &c. nego minorem, absolute transeat; quæro autem cur potius ad conversionem requiras definitionem; & tibi non sufficiateductio, si ad illam non requiras productionem, & tibi omnino sufficiat adductio? hic enim cardo difficultatis vertitur: quia autem non est ratio unius, potius quam alterius, & primum requiritur, secundum ex consequenti requirimus. Neque est quod P. Comptonus hic dicat, *transitum unius rei in aliam* dicere essentialiter definitionem termini à quo; cur hoc? si enim rectè dicatur conversio transitus unius rei in aliam quàm adductam, rectè dicetur transitus unius rei quàm adductæ in aliam quàm adductam, à pari.

DISPUTATIO TERTIA.

De Corruptione.

DVBIVM I.

Quid corruptio Substantialis & quomplex.

RESOLUTIO I.

I. **D**ico 1^o. Corruptio substantialis est definitio formæ substantialis remanente materiæ: Perly *remanente materiæ*, excludit annihilationem, in qua subjectum sive materia, non remanet.

RESOLUTIO II.

II. **D**ico 2^o. Corruptio rectè dividitur in directam & indirectam: directa fit per subtractionem concursus conservativi: indirecta per introductionem formæ incompatibilis cum priori, uti lib. 2^o. Physic. insinuavimus.

DVBIVM II.

An detur Corruptio Substantialis.

RESOLUTIO.

III. **D**ico, de Corruptione substantiali proportionaliter dictis Disp. 1^a. Dub. 2^o. de ipsa generatione substantiali, philosophandum.

DVBIVM III.

An Corruptio per se intendatur ab agente naturali.

Ante Resolutionem

IV. **S**uppono intentionem hic dupliciter accipi posse, 1^o. pro actu, quo voluntas in finem tendit: 2^o. pro inclinatione, seu tendentia, naturæ ipsius agentis in effectum: hæc est propria agentium necessariorum, illa liberorum. Hoc supposito, sit

RESOLUTIO.

V. **D**ico corruptio potest directè & per se intendi ab agente libero; à necessario non nisi indirectè & concomitanter; imò interdum, nec directè & per se, nec indirectè & concomitanter.

VI. Probatur prima pars, quia corruptionem per se & directè intendi ab agente libero, agenti

libero liberum est; nam ei liberum est velle rem per se destruere, nihil aliud intendendo, vel propter aliud, & in alium finem collimando; sed id est corruptionem directè & per se ab agente libero intendi, ergo, &c.

VII. Probatur secunda pars, quia omne agens necessarium agendo, solum intendit producere sibi simile, quod cum frequenter non possit nisi destruendo formam incompatibilem, ut patet cum ignis agit in stupam, indirectè & concomitanter illius destructionem intendit, ergo, &c.

VIII. Probatur tertia pars, quia agens necessarium potest interdum producere sibi simile, non destruendo formam præviè existentem in materia, ut si hæc simul cum illa sit compaibilis; possunt enim duæ formæ totales substantiales naturaliter esse simul in eadem materia; ut constat ex dictis lib. 1^o. Physic. Disp. 3^a. ergo interdum nec directè & per se, nec indirectè & concomitanter, potest intendere corruptionem.

IX. Colliges 1^o. Corruptionem esse saltem latè naturalem, in quantum, saltem frequenter, indirectè & concomitanter exigitur ab agente naturali.

X. Colliges 2^o. hoc Axioma, *Corruptio unius est generatio alterius*, sensu formali nunquam esse verum; quia corruptio est opposita generationi; in sensu verò concomitativo interdum esse verum, ut si causa corrumpens, sit præsens & potens introducere formam suæ similem; interdum falsum, ut si non adfit, pro quibus vide dicta loco citato, & paulo infra dub. 5^o.

DVBIVM IV.

An in corruptione Substantiali fiat resolutio usque ad materiam primam.

Ante Resolutionem

XI. **S**uppono primo dubii hunc esse sensum, an composito fundamentaliter corrupto maneat nuda materia sine ullis prorsus accidentibus, & sic nuda, composito novo communicetur, ut v.g. an quando corrumpitur homo, nulla

nulla accidentia hominis remaneant in cadavere (si detur,) sed in ipsa separatione animæ pereant omnia, & omnino nova producantur in conjunctione formæ ignis ad nudam materiam ejus, aut ligni. Paulò aliter Thomistæ sensum dubii exponunt, videlicet, an generatio substantialis subiectetur immediatè in materia prima ab omnibus accidentibus nuda.

xii. Suppono 2º, accidentia non recipi in toto composito, ita lib. 1º. Phys. Disp. 6. Dub. 7. His suppositis, sit

RESOLUTIO.

xiii. **D**ico in Corruptione substantiali non fit Resolutio usque ad materiam primam, five generatio substantialis non subiectatur immediatè in materia prima ab omnibus accidentibus nuda. Ita Averroës in lib. de substantia orbis & 1. Physic. coment. 66. Simplicius lib. 1º. Physic. textu 69. Philoponius lib. 1. de Generat. textu 33. & 40º. Ammonius in Prædicamento quantitatis, Gregorius in 2º. dist. 12. quæst. 2. art. 1. Aureolus apud Capreolum dist. 13. q. 1. in argumento contra 3. conclusionem, Marsilius 1º. de Generat. quæst. 7. Venetus in summa de Generat. cap. 54. Egidius 7º. Metaph. q. 4. Nymphus 8. Metaph. Disp. 4. Zimara Theorem. 46. Suarez Disp. 14. suæ Metaph. sect. 3. & plures Juniores Societatis, qui etiam referunt Toletum in præsentis q. 7. Perer. lib. 5. Physic. cap. 18. Conimbric. lib. 1º. de Generat. cap. 4. q. 4. art. 1. concl. 4. contra Albertum in summa de homine, quæstione, an nutritio fiat ex simili, art. 1. Flandriam 7. Met. q. 17. art. 10. & 11. Durandum in 1. dist. 8. 2. p. q. 4. Capreolum in 2. dist. 13. q. 1. concl. 2. & 3. ac dist. 18. q. 1. concl. 6. Hervæum quodlib. 2. q. 10. Cajetanum de ente & essentia cap. 7. q. 16. Ferraram 4. contra gentes cap. 81. Iabellum 8. Met. q. 2. Soncin. quæst. 7. 15. & 18. Soro. 1. Physic. quæst. 7. Bannez in præsentis cap. 4. quæst. 9. & 10. ubi satis fusiè plura huc spectantia optime colligit. Fonseca 5. Met. cap. 28. quæst. 20. sect. 2. Zanardum 8. Metaph. quæst. 7. Rubionem in præsentis cap. 4. Tract. 3. quæst. 7. & alios plures tam ex discipulis D. Thomæ quàm ex aliis, quos habes citatos apud nostros Complur.

xiv. Probatur 1º, contra Thomistas plerosque, ex S. Thomæ 3ª. parte q. 9. art. 3º. ad 2. *Per calorem enim disponitur materia ad suscipiendam formam ignis, quæ tamen adveniente calor non cessat, sed remanet, quasi quidam effectus talis formæ, ergo, &c.*

xv. Respondent Thomistæ Divum Thomam solum velle remanere eundem specie calorem, non numero eundem. Sed

xvi. Contra est quòd velit remanere calorem per quem disponitur materia; disponitur autem per hunc calorem in individuo, & non per calorem in specie, ergo vult remanere hunc calorem in individuo, ac per consequens eundem numero.

xvii. Probatur 2º, ex Aristotele hic lib. 2º. cap. 4º. ubi docet elementa symbola, id est, in aliqua qualitate convenientia, facilius in invicem mutari, quàm assymbola, id est, quàm in nulla qualitate convenientia; Ratio autem est, quia facilius est in unam, quàm in plures qualitates mutari; item quia facilius est unam, quàm plures qualitates ex eodem subiecto expellere: ergo censet aliquas qualitates corrupti manere in genito; aliàs non esset dicta mutatio facilior, ut patet: Adde Aristotelem hic lib.

R. P. Francisci Bonæ Spei Physicæ.

10. textu 34º. dicere, *Manere eandem perspicuitatem & frigus quæ ante, quando ex aère fit aqua.*

xviii. Probatur 3º, quia si non maneat eadem numero accidentia in genito, quæ fuere in corrupto, non erit assignabilis, 1º, dum ex ligno generabitur ignis, causa destructiva caloris in ligno producti, maxime si supponatur ignis, à quo productus est, remanere intimè præsens: 2º nec causa productiva densitatis manentis in igne factò ex pice: 3º, caloris in homine in gelidissima aqua recens submerso: item nec mali temperamenti ex herbis noxiis, cicatricum, caloris, coloris, situs, &c. in corpore statim interfecti; quis enim posset adeo sensus corrigere (ut docent adversarii hic corrigendos) ut rationabiliter apprehendat, ista accidentia esse alia numero in genito, quàm fuerunt in corrupto? id mihi saltem valde molestum foret, ergo, &c.

xix. Nec dicas 1º, calorem in ligno productum non destrui per alterationem causæ efficientis, aut per defectum causæ conservantis; sed defectu subiecti, quod erat totum compositum & perit, nec accidens naturaliter migrat de subiecto in subiectum. Quia quamquam hæc solutio non ita facilè; ab aliis rejiciatur, ut constat ex supposito secundo, facilè tamen à nobis ibidem præclusa est.

xx. Nec dicas 2º, cum nonnullis densitatem in igne ex pice, malum temperamentum, cicatrices, calorem, colorem, &c. produci à forma substantiali succedente; non quidem per se, sed ex inadæquatâ determinatione materiæ; quia scilicet, materia in corrupto erat inadæquatè affecta & radicata prioribus accidentibus: nam sic forma ignis produceret densitatem, cum tamen exigit raritatem; aqua gelidissima calorem, cum sit per se destructiva caloris, & per se productiva frigoris contrarii, quæ omnino gratis finguntur; maxime si attendatur determinationem materiæ per accidentia, quæ fuerunt, & nec secundum se, nec secundum suam actionem perseverant, non magis augere, vel mutare activitatem agentium naturalium, quàm si nunquam fuissent. Hinc

xxi. Probatur 4º, si pereant omnia accidentia, quæ præfuerunt in corrupto; materia in instanti generationis, non magis erit disposita & determinata ad receptionem hujus, quàm illius formæ; ac proinde non magis hæc, quàm illa sequetur; sed hoc est contra experientiam, ergo, &c.

xxii. Respondent varii distinguendo sequelam; non magis erit disposita & determinata, &c. per accidens aliquod actuale, quod fuerit in corrupto, concedunt sequelam; per virtutem præcedentium dispositionum, quæ materiam sigillaverunt, & præparatam reliquerunt, negant sequelam; volunt autem illam virtutem esse quid medium inter accidens actuale & nihil, ac proinde tantum modum quemdam se habendi materiæ à materia realiter indistinctum, utpote ipsammet materiam ad hanc potius, quàm ad aliam formam sigillatam & præparatam. Sed

xxiii. Contra est quòd illud medium inter ens actuale & nihil realiter, sit prorsus intelligibile, ut probabitur in Metaph. contra esse diminutum P. Poncii; deinde, si illa virtus nihil sit aliud realiter, quàm ipsa materia, ubicumque erit illa materia, erit illa virtus; a proinde materia semper erit ad omnes, ad quas successivè disponi potest, sigillata

lata & proportionata, unde nunquam una magis, quam alia sequetur, quod est contra experientiam, & valde absurdum in sententia plerorumque adversariorum, negantium nequidem divinitus materiam posse duas formas totales simul recipere, cum simul recipere possit omnes formas, ad quas potest simul esse disposita, figillata & præparata, ut verbis ipsorum utar.

xxiv. Objicies tamen 10, ex Aristotele lib. 1^o. de Generatione cap. 4^o. *Generatio est mutatio totius in totum nullo manente subiecto sensibili*; sed si maneat eadem accidentia, remanet aliquod subiectum sensibile contra Aristotelem, ergo, &c.

xxv. Respondent alii communiter Aristotelem ibi non loqui de subiecto inhæfionis, sed denominationis; illud autem manere, hoc non; quia est compositum. Sed contra, compositum non est subiectum denominationis, nisi ratione suarum partium; nam ejus pars remanet; ergo remanet id ratione cujus est subiectum denominationis, ac per consequens remanet subiectum denominationis, saltem partiale, ergo sic non satisfat Aristoteli. Quare aliter

xxvi. Respondeo distinguendo assumptum, *Generatio est mutatio totius in totum nullo subiecto sensibili manente individuo, & conjuncto formæ*, concedo assumptum; nullo subiecto sensibili manente diviso & separato à formæ, nego assumptum; manet enim materia, quæ est subiectum sensibile; non quidem conjuncta formæ, quia corruptio, quam Aristoteles supponit præcedere, est conjunctionis, sive unionis separatio; sed disjuncta & separata: & hinc etiam patet 1^o quomodo secundum Philosophum 1^o de Generatione Textu 24^o in alteratione maneat idem subiectum sensibile, scilicet individuum & conjunctum formæ priori; non verò in generatione; quia (saltem ordinariè) non manet individuum & conjunctum formæ priori; nam hæc ordinariè cedit succedenti: item quomodo secundum eundem 5^o. *Physic. Generatio fiat de non subiecto in subiectum*, id est, de non subiecto formæ conjuncto, in subiectum formæ conjunctum; unde proportionaliter ibidem dicit, *Subiectum generationis esse materiam nudam*, puta conjunctione cum forma substantiali, idque concomitanter & ordinariè tantum; *Alterationis verò ens completum*, id est, materiam completam per conjunctionem cum forma, idque ex mente ipsius & secundum nos ordinariè tantum; quæ omnia alii difficulter conciliant. Quod verò nonnulli objiciunt ex eodem in prædicamentis cap. 6^o. *Ablatis primis substantiis cæterorum nihil remanere*, non urget; quia per primas substantias non intelligit substantias totales ut totales, sed substantias secundum quaslibet sui partes; certum autem est in omnium sententia ablatis quibuslibet substantiæ partibus, nulla accidentia remanere posse.

xxvii. Pro Solutione Objectionum à ratione, attende semper materiam solam esse subiectum inhæfionis accidentium, &c. quæ pereunte, necessariò naturaliter pereant accidentia illa; quia migrare non possunt de subiecto in subiectum inhæfionis: compositum verò esse tantum subiectum totale denominationis, quò pereunte, non pereunt; quia de subiecto in subiectum totale denominationis transire possunt, non secus ac ipsa materia: si verò dicatur accidens advenire enti completo, non est sensus, quòd necessariò adveniat materiæ, jam informatæ

formâ substantiali, sive materiæ completæ per formam substantialem, ut patet ex dictis 1^o. *Physic. Disputat. 2^a. quòd materia recipiat formas substantiales per potentiam accidentalem realiter à se distinctam*. Sed quòd non sit de conceptu & constitutione essentiali (puta quoad præcipuas partes) entis substantialiter completi, vel absolute, entis essentialiter secundum essentialitatem sibi proportionatam completi.

xxviii. Nec dicas 10, cum P. Poncio *Physic. lib. 1^o. Disputat. 6^a. quæst. 4^a. concl. 3^a. quòd si materia sola sit subiectum inhæfionis accidentium, fore, ut nulla detur alteratio violenta, eò quòd à nulla prorsus qualitate materia prima abhorreat; nam hinc solum sequitur nullam alterationem fore violentam materiæ secundum se, bene autem composito, sive materiæ ut tali formæ unitæ, cui tantum alteratio potest esse violenta.*

xxx. Nec dicas 2^o, cum eodem loco citato, prius materia recipit formam substantialem, quam quantitatem; ac proinde quantitatem mediante formâ; ergo subiectum inhæfionis accidentium non est sola materia; probabis antecedens, quia materia prius respicit actum per se & primū, qualis est forma substantialis, quam per accidens & secundum.

xxx. Respondeo enim negando antecedens pro utraque parte, & contrarium patet; tum in dicta potentia accidentali materiæ, per quam formas substantiales recipit; tum in eo, quòd introductio formæ substantialis supponit materiam esse actu dispositam, & ad ipsam præparatam: ad probationem verò antecedentis distinguo, materia prius respicit actum per se & primum ordine intentionis, concedo assumptum; ordine executionis, sive productionis, nego assumptum; unde forma substantialis non est quidem hoc sensu primus actus, quòd primò introducat & informet materiam, sed hoc, quòd sit præcipuus, quia radix & actus principaliter à natura intentus.

D V B I V M V L T I M V M.

Quo sensu verum est Generatio unius est corruptio alterius; ubi, an detur forma cadaveris.

R E S O L U T I O I.

xxxi. **D**ico 10, Axioma istud, *Generatio unius est corruptio alterius*, & è contra, quod ex Aristotele sumitur, est verum in sensu identico, & non aliter.

xxxii. Probatur prima Pars, quia sensus identicus hujus Axiomatis *Generatio unius est corruptio alterius* est hic, *Generatio unius est negatio negationis, sive corruptio negationis*, qui æquivaleret, *Affirmatio est affirmatio*; quia generatio quædam affirmatio est; & negatio negationis similiter, quia duplex negatio facit affirmationem, ergo, &c.

xxxiii. Probatur secunda Pars, quia vel Axioma illud intelligitur de accidentibus, vel de substantiis; sed, sive de illis, sive de his, intelligatur, non est alio sensu verum, ergo, &c. Probatur minor pro prima parte; quia generatio potentie instrumentalis materiæ, non est alterius corruptio; quia non habet contrarium: deinde generatio lucis non est corruptio alterius præterquam nostro sensu, & sic de generatione cujusvis ex disparatis: Probatur pro secunda parte; quia sicut dantur generationes acciden-

tium,